

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quoniam lite contestata, præstitoque hinc inde calumniæ juramento, solent litigantes plerumque petere quasdam inducias, seu dilationes, sive ad intentionem suam probandam ex parte actoris; sive ad respondendum ipsius petitioni, atque proponendas probandasque exceptiones ex parte rei: merito præsens rubrica præcedenti subjungitur. *Utrum sit*

§ I.

DE DILATIONIBUS JUDICIALIBUS IN COMMUNI.

2. *Dilatio judicialis, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit dilatio? Resp. I. *Dilatio judicialis* est justum temporis intervallum quod ad actum aliquem judicarium commodius expediendum, actori, vel reo conceditur. Ita Pirhing, h. t. num. 4; Engel, num. 4, et alii.

3. *Dilatio generatim quid?* — Dicitur imprimis *Dilatio judicialis*, ad excludendas dilationes, sive (ut appellantur, caus. 3, q. 2. in principio) inducias extrajudiciales: nam impræsentiarum sermo est dumtaxat de dilationibus judicialibus, quæ dantur durante judicio, sive a citatione partium usque ad sententiam, ejusque executionem inclusive. Si tamen quis dilationem in genere, ac prout tam judicialem, quam extrajudicialem complectitur, describere velit, dicere poterit: Dilatio generatim accepta, est concessio competentis temporis, intra quod aliquid agi debet.

4. *Illam debet continere justum temporis intervallum.* — Dicitur ulterius, «justum temporis intervallum,» etc., vel (ut alibi loquitur) assignatio certæ diei, sive termini, intra quem actus judicialis expediendus est, justo temporis intervallo facta. Debet enim tempus illud non nimium arctari, nisi urgeat necessitas; alioquin juste appellabitur, cap. 1, h. t. Quamquam, quis terminus censeatur nimium brevis, judicis arbitrio relinquendum esse, Glossa communiter recepta censeat, *ibid.* §. *Nimis brevem.* Sed neque tempus dilationum nimis debet extendi in præjudicium partis alterius: cum potius dilationum materiæ, quantum fieri potest, ubique sint amputandæ: L. II, § 1, *de Temporib. appellat.*, et amplius declarabitur in progressu.

5. *Conceditur tam actori, quam reo.* — Ad-

ditur tandem, «actori, vel reo conceditur.» Nam aliæ dilationes conceduntur actori, v. g. ad aliquid probandum: aliæ reo, puta, ad veniendum in judicium post citationem, aut ad deliberandum, an cedere, vel judicio contendere velit, aut hujusmodi: prout magis patebit ex dicendis.

6. *Dilationes judiciales sunt multiplices.* — Resp. II. Dilationes judiciales sunt multiplices; adeo, ut earum sedecim enumeret. Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 1. Speculator autem tit. *de Dilationibus*. § 1, *Illarum universim recenseat viginti quatuor*: et sunt sequentes, videlicet: — I. Citationes experiundoriæ, ut cap. ult. *Quia matrimon. accusar. poss.*, et cap. ult. *de Elect.* in 6. — II. Citationariæ, de quibus infra. — III. Representatoriæ, seu exhibitoriæ, dum quis intra certum tempus debet se exhibere in judicio, puta, ad prosequendam appellationem, c. *Personas*. 4. et c. *Sæpe contingit*. 54. *de Appellat.* Vel alium in judicio sese exhibiturum promittit, ut l. *Sancimus*, C. *de Fidejussoribus*. — IV. Sisitoriaræ; ut si inter partes conveniatur, quo die stetur in judicio, ibi standum sit; vel, si non conveniatur, in judicis arbitrio istud sit, l. *De die*. ff. *Qui satisfacere cogantur*. — V. Defensoriæ, quæ arbitrio boni viri dantur illis, qui alieno nomine volunt defendere, l. *Servum*. § *Ait prætor*. ff. *de Procurat.*

7. *Earum recenseantur viginti quatuor.* — VI. Dilationes denunciatoriæ, quibus petitur dilatio ad denunciandum adversario, ut veniat, l. II, C. *Ubi in rem actio*. — VII. Electoriæ, quæ dantur ad arbitros eligendos in causa suspecti judicis: ut c. *Cum speciali*. 61. *de Appellat.*, et l. ult. C. *de Judiciis*, ubi pro dilatione assignatur tempus trium dierum. — VIII. Inquietatoriæ; ut l. *Diffamari*. c. *de Ingenius manumiss.* — IX. Vacatoriæ, seu feriales, de quibus infra tit. seqq. — X. Inchoatoriæ, quas nimirum habet actor ad inchoandam, seu contestandam litem intra duos menses, a libelli oblatione computandos, Auth. *Libellum*. C. *de Litis contestat.*

8. *Earum recenseantur viginti quatuor.* — XI. Dilationes revocatoriæ, seu quæ dantur illi, qui jus habet revocandi domum: ut cap. ult. *de Foro compet.*, et cap. ult. h. t. Quamquam etiam illæ possint dici dilationes revocatoriæ, quæ conceduntur domino principali ad revocandum errorem sui advocati: atque est tempus prius dierum, l. ult. c. *de Error. advocat.* — XII. Restitutoriæ, quæ competunt vel graviter læsis ad petendam restitutionem

in integrum; estque tempus quatuor annorum, l. ult. c. *de Temporib. in integr. restitut.* Vel spoliatis, ne cogantur spoliatoribus respondere ante factam spoliæ restitutionem, c. *Conquerente*. 7. *de Restitutione spoliat.*, et c. *Frequens*. eod. in 6, cum similibus. — XIII. Exceptoriæ, de quibus infra tit. XXV, *de Exceptionibus*. — XIV. Præparatoriæ, quæ dantur in judicium vocatis ad se præparandum pro responsione, can. *Si primates*. §, q. 2., vel ad quærendos testes, aut inveniendos advocatos, et hujusmodi. — XV. De liberatoriæ, de quibus § seqq., n. 33.

9. *Earum recenseantur viginti quatuor.* — XVI. Dilationes dubitatoriæ: suntque illæ, quando quis forsitan facta positione asserit se dubitare, sicque petit dilationem pro investiganda melius rei veritate. — XVII. Probatoriæ. — XVIII. Diffinitoriæ. — XIX. Executoriæ: de quibus tribus singillatim infra § 3, per totum. — XX. Solutoriæ, quæ conceduntur condemnatis ad solvendum debitum; sicque sub executoriis comprehenduntur. — XXI. Revocatoriæ, seu concessæ ad revocandum errorem sui advocati, juxta dicta n. 8. — XXII. Appellatoriæ, seu quæ dantur ad appellandum: et sunt tempus decem dierum, c. *Quod ad consultationem*. 15. *de Sentent. et re judic.* — XXIII. Prosecutoriæ, quæ nimirum dantur ad prosequendam appellationem, c. *Cum sit Romana*. §. *de Appellat.* — XXIV. Supplicatoriæ tandem dilationes dicuntur illæ, quæ conceduntur sententiam passis ad supplicandum principi, ut ex quadam benignitate velit eos restituere adversus sententiam, Auth. *Quæ supplicatio*. C. *de Precibus Imperat. offerend.* De quibus plura suo loco.

10, 11, 12 et 13. *Ex parte causæ efficientis dividuntur in dilationes legales, judiciales seu arbitrarias, et in dilationes conventionales; et quid sint?* — Quæritur II. Qua ratione dilationes judiciales generatim dividi possint? Resp. I. Id fieri posse dupliciter: primo, earum divisionem instituendo ex parte causæ efficientis: secundo, ipsas dividendo juxta tres judicii partes. Et quidem priori modo, seu ex parte causæ efficientis, convenienter dilationes dividuntur in legales, judiciales (quas Zoësius h. t. n. 1. alio nomine vocat arbitrarias) et conventionales: prout notat Abbas cap. 1, n. 15 h. t., Vallensis eod. § 1, n. 2, et alii; atque probatur explicando singulas. Et quidem

Dilationes legales sunt, quæ simpliciter ac determinate dantur a lege ipsa, vel statuto,

vel consuetudine speciali locorum: ut est tempus decemdiu jure concessum ad appellandum, et hujusmodi.

Dilationes judiciales, seu (ut Zoësius loquitur) arbitrariæ, dicuntur illæ, quæ dantur a judice: sive, quæ ad arbitrium judicis, inspecta conditione causæ; et personarum, aliarumque circumstantiarum exigentia assignantur, l. *Nonnunquam*. ff. *de Judiciis*, et l. I, § *Expilatores*. ff. *de Effractorib.* Non enim dilatio judicialis hic sumitur, prout contra distinguitur ab extrajudiciali: sed ut opponitur legali, quæ datur a jure, sive statuto: illa enim vicissim conceditur ab homine, seu a judice.

Dilationes conventionales vero sunt illæ, quæ competunt ex conventionione partium: ut si partes consentiant super prorogatione negotii, c. *Pastoralis*. § fin. 28. *de Offic. delegat.* Vel si partes inter se conveniant de certo temporis spatio, intra quod solutio debiti sit facienda, aut satisfactio danda, l. *De die*. § 1, ff. *Qui satisfacere cogantur*.

14. *Spectando tres judicii partes, qualiter dilationes dividantur?* — Resp. II. Spectando tres judicii partes, ipsamque materiam, circa quam dantur, recte dividuntur dilationes in citatorias, deliberatorias, ac recusatorias, quarum quævis conceduntur in prima judicii parte, nempe a citatione usque ad contestationem litis inclusive. Et harum priores dantur in ipsa citatione ad comparandum: secundæ ad deliberandum super contentis in libello, an nimirum citatus cedere, vel judicio contendere velit: tertiæ vero concedendo terminum, intra quem possunt proponi omnes exceptiones tum declinatoriæ fori, tum dilatoriæ.

15. *Spectando tres judicii partes, qualiter dilationes dividantur?* — His accedunt dilationes probatoriæ, et allegatoriæ, quæ nimirum dantur ad probandum, vel ad allegandum in causa intra certum tempus: et hæc competunt a litis contestatione usque ad sententiam diffinitivam exclusive. Item dilationes diffinitoriæ, atque executoriæ, quarum priores dantur ad diffiniendum negotium; posteriores vero, ad exequendam sententiam intra certum tempus: quæ proinde locum habere dignoscuntur in tertia judicii parte; hoc est, a sententia usque ad ejus executionem inclusive. Ita Abbas, cit. n. 15; Pirhing, h. t., n. 3; Zoësius, n. 2, et alii; ac patebunt singula harum dilationum membra amplius in progressu de ipsis loquendo. Cæteræ autem

dilationes, paulo superius recensitæ, comode ad unam præmissarum reducuntur.

16. *In præsentis titulo agitur de dilationibus citatoriis et deliberatoriis.* — Nec obstat conclusioni, quod in præsentis titulo solum agatur de dilationibus citatoriis, atque deliberatoriis, quæ dantur ante litem contestatam. Resp. enim, per hoc negari, quin dentur etiam aliæ dilationes in cæteris iudicii partibus, cum rubrica hujus tituli generaliter inscribatur, *de Dilationibus*. Fatendum tamen est cum Abbate ad rubric. h. t. et aliis, quod, cum rubrica præsens sit generalis *de Dilationibus* in genere, et in progressu tituli agatur solum de dilationibus, quæ dantur ante litem contestationem, *Rubrum sit generalius nigro*; hoc est, rubrica tituli sit generalior contentis in illo.

17. *Nec tamen is incongrue huc collocatus fuit.* — Nec dicas: Si in hoc titulo solum agitur de dilationibus ante litem contestatam, ergo compiler incongrue collocavit isto loco præsentem rubricam; cum melius eandem ponere potuisset post rubricam *de Iudiciis*. Negatur enim sequela; tum quia istud factum est propter generalitatem ipsius præsentis rubricæ, atque ad imitationem juris civilis, tam in codice, quam in *Digestis*, hunc ordinem servantis; tum quia dilationes, quæ dantur post litem contestatam ad probandum, obtinent principatum: sic merito compiler huc inserere voluit præsentem rubricam, quamvis eam etiam alibi ponere potuisset; sicque hoc sit unum de arbitrariis ipsius. Nunc loquendo de singulis istis dilationibus in specie,

18. *Referuntur causæ, ob quas concedi solent dilationes.* — Quæritur III. Cur, et qualiter sit danda dilatio judicialis? Resp. I. Plures sunt causæ, ob quas concedi solent dilationes. Primo, ut pars litigans melius deliberare valeat, can. *Inducie accusatis*. § *Offeratur*, 3. q. 3, et Auth. *Offeratur*. C. *de Litis contestat.* Secundo, ut veritas rerum melius investigari possit, et salva maneat, cap. ult. h. t., cum similibus. Tertio, ut in omnibus æquitatis ratio observetur. Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 6.

19. *Dilationum materia ubique est amputanda; et qualiter?* — Quando igitur evidens est calumnia, seu quod quis solum malitiose ad protrahendam litem postulet dilationem, ea non est concedenda: quinimo materia dilationum dandarum ubique est amputanda, l. II, § 1. *de Temporib. appellat.* intellige, cum

Glossa ibid. §. *Amputantes*, nisi urgentissima ratio, vel causa expostulet; seu, ut dicitur l. I. c. h. t. nisi dilationem dare rerum necessitas cogat.

20. *Dilatio petenda est, et concedenda a iudice pro tribunali sedente, et causa cognita.* — Resp. II. Dilatio petenda est, et concedenda a iudice pro tribunali sedente, et causa cognita, saltem de plano, atque utraque parte præsentem: et si quidem dilationis petitio per adversarium fuerit improbata, tunc ejusmodi quæstio, num danda sit dilatio, necne, per sententiam iudicis interlocutoriam dirimi debet. Textus est in l. *A procedente*. C. h. t., et can. *Inducie accusatis*. § *A iudice*. 3. q. 3, juncta Glossa, ibid., et alia Glossa in cap. II, §. *Plene potuit*. h. t., ac notat Speculator tit. *de Dilationibus*. § *Nunc videamus*. n. 1; Hostiensis h. t., n. 7; Pirhing h. t., n. 2.

21. *Quid si secus fiat, nec pars adversa contradicat?* — Solum adde cum Speculatore loc. cit. n. 1 et 2, et aliis, quod si secus fiat, et v. g. dilatio a iudice concedatur altera parte absente, quæ postmodum de hoc certificata non contradicit, neque excipit; nihilominus assignatio talis dilationis valeat. Censetur enim in ipsam consentire, eamque ratihabere, juxta amplius dicenda n. 58. h. t.

§ II.

DE DILATIONIBUS CITATORIIS, ET DELIBERATORIIS

22. *Dilatio citatoria, quid?* — Quæritur I. Quid sit, et quanta concedi debeat Dilatio citatoria? Resp. I. Dilatio citatoria dicitur, quæ citatis, sive in iudicium vocatis, datur ad comparandum. Neque enim regulariter loquendo, ac nisi gravis causa urgeat, v. g. subsit periculum in mora, poterit quis ita citari, ut statim relictis omnibus comparere teneatur; sed oportet ipsi relinquere justum temporis spatium ad comparandum.

23. *Ejus terminus non debet esse nimis brevis.* — Resp. II. Terminus dilationis citatoriae, intra quem reus peremptorie tenetur comparere in iudicio, non debet esse nimis brevis, nisi necessitas aliud requirat: alioquin juste appellari poterit. Ita habetur in cap. I, h. t. et concordant dicta superius n. 4.

24. *Dictio Maxime est implicative.* — Nec obstat, quod in cit. cap. I, h. t. præcipue sit sermo de causis ecclesiasticis ibi: «Maxime, cum de rebus ecclesiasticis agitur.» Nam ly «Maxime» est dictio implicative, sive com-

prehendens etiam casum magis dubitabilem, l. I, § *Si ex dodrante*. ff. *de Collation.* et cum plurimis aliis tradit Barbosa *Diction.* 197, n. 1, ac proinde ex propria vi, et natura suæ significationis implicat, sive denotat, idem esse in causis non ecclesiasticis; quamvis in causis ecclesiasticis fortior ratio militet.

25. *Quid si necessitas aliud requirat?* — Additur tamen in conclusione, «nisi necessitas aliud requirat.» Nam necessitas non habet legem, c. *Quod non est licitum*. de *Reg. jur.*, et can. *Discipulos*. de *Consecr.* dist. 5. Sic accidit, quando periculum est in mora, ne res litigiosa pereat: aut si actor diutius in loco commorari non valet, et hujusmodi: atque innuitur in cit. cap. I, h. t. illis verbis: «Nisi forte necessitate urgente.»

26. *Citatus una vice non peremptorie, si non compareat, post intervallum saltem decem dierum citandus est secunda et tertia vice.* — Resp. III. Extra casum citationis peremptorie, si reus una vice citatus non compareat, citandus est secunda, et tertia vice, per intervallum saltem decem dierum singulis citationibus interponendum; quamvis ex causa rationabili iudex hunc terminum dilationis citatoriae moderari, atque pro exigentia causæ et personarum aliarumve circumstantiarum qualitate, longiorem vel breviorum concedere valeat. Ita doctores communiter. Et quidem prima pars habetur in can. *De illicita*. 24, q. 3, juncta Glossa ibid. §. *Peremptorie*, et l. *Ad peremptorium*, ac seqq. ff. *de Iudiciis*. Concordant dicenda inferius tit. XIV, *de Dolo et contumacia*. § 4, n. 107 et seqq.

27. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, Auth. *De Litigiosis*. *Omnem vero*, collat. 8, quæ vult inter singulas citationes esse interponendum spatium triginta dierum: ut proinde Glossa ibid. §. *Cautione*, inde concludat, quod jura antiquiora per dictam Authenticam sint correctæ. Non obstat, inquam: quia, ut bene notat additio ad Glossam in l. *Properandum*. § *Et si quidem*. §. *Decem*, et Bartolus ibid. §. *Veniamus*. C. *de Judic.*, Authentica illa loquitur in casu speciali, videlicet quando actore per contumaciam absente reus vult proponere probationes suas, ac facere, ut de causa liqueat, et pro ipso sententia diffinitiva feratur: quod quia est majoris præjudicii, merito ibidem requiruntur longiores dilationes. Secus est in aliis casibus non ita præjudicialibus.

28. *Potest tamen iudex moderari dictum ter-*

minum dilationis citatoriae. — Altera pars, videlicet posse iudicem pro qualitate causæ et personarum, atque loci, temporis, aliarumque circumstantiarum exigentia, moderari terminum dilationis citatoriae: patet ex c. *Consuluit*. 24. *de Offic. delegat.* et c. *Ex litteris*. 4. *De in integrum restitut.*, et c. *Cum sit Romana*. 5. *de Appellat.*, et c. *Quod ad consultationem*. 15. *de Sent. et re judicat.*, ac l. *Oratione*. ff. *de Feriis*, cum concordantiis. Unde Glossa in cap. II, §. *Plene potuit*. h. t. notanter inquit, quod dilationes istæ hodie videantur arbitratoriae, et iudex considerata locorum distantia, et temporis qualitate, inducias concedat. Quinimo Hostiensis in *Summa*, n. 2 h. t. inquit, regulariter omnes dilationes ex causa reddi arbitrarias.

29. *Enumerantur causæ justæ abbreviandi intervalla citationum.* — Porro causæ, ob quas iudex abbreviare poterit intervalla dilationum, plures sunt; easque refert Abbas in cap. I, n. 7, h. t. et Bartolus in l. II. § *Item pro declaratione*. ff. *de Re judicat.* — I. Si consuetudo locorum id ferat, l. *Testium*. § fin. ff. *de Testibus*: nam quoad intervalla dilationum oportet attendere stylum curiarum, et cujuslibet fori, qui alius et alius existit. — II. Si causa est vilis, seu modicæ quantitatis, arg. auth. *Nisi breves*. C. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.* — III. Si res, de qua controversatur, alioquin tempore peritura foret, arg. l. un. ff. *de Glande legenda*. — IV. Si ejusmodi res longiori concessa dilatione majores causaret expensas, quam afferret commodum: ut si lis oriatur super equo vel asino, qui protracta ob intervalla dilationum diutius lite plus comedendo absumeret, quam valeret: ut l. *Mediterraneæ*. c. *de Annonis*. l. X. — V. Cum agitur super alimentis: alioquin enim, si nimium expectaretur, periculum foret ne quis interim fame periret. Accedunt aliæ consimiles causæ abbreviandi dilationes, arbitrio iudicis disentiendæ.

30. *Atque easdem prolongandi.* — Cæterum causæ prolongandi dilationes contrario explicari debent. — I. Siquidem hæc prolongari possunt ob gravitatem, aut aliam qualitatem causæ, ob quam aliquis intra tempus brevius super ipsomet causæ negotio commode non potuit deliberare, cap. ult. h. t. — II. Ob qualitatem personarum; nam major dilatio debet dari seni, quam juveni; major absenti, quam præsentem; arg. l. *Continuus*, § *Cum ita*, ff. *de Verb. obligat.*, et l. *Nonnunquam*. ff. *de Iudiciis*; ubi hoc totum iudicis arbitrio relin-